



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi  
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ  
Theologiæ summa continetur**

**Petrus <Lombardus>**

**Mogvntiæ, 1632**

Ex quo sensu dicitur naturaliter omnis homo velle bonum. C

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38829**



malum non est. Quamuis eorum quidam etiam hos actus malos esse interdum non improbè afferant. Memorat enim interdum quis malum ut faciat, & quærit intelligere verum, ut sciat impugnare. Ecce qualiter soluitur præmissa quæstio ab his qui tradunt omnia esse bona in quantum sunt. Qui vero dicunt voluntates malas peccata esse, & nullo modo bona, breuius respondent, dicentes actum voluntatis non esse de naturalibus: sed vim ipsam & potentiam volendi, quæ semper bonum est, & in omnibus est, etiam in paruulis, in quibus nondum est eius actus.

*Quomodo intelligendum sit illud, Et homo etiam qui seruus est peccati, naturaliter vult bonum.* C

Præterea quæri solet. Quomodo intelligendum sit quod ait Ambr. exponens illud verbum Apostoli, Non enim quod volo, illud ago, sed quod nolo, illud facio. Dicit enim, quod homo subiectus peccato facit quod non vult, quia naturaliter vult bonum. Sed voluntas hæc semper caret effectu, nisi gratia Dei adiuuet & liberet. Si homo subiectus peccato est, vult quidem malum & operatur, quia seruus est peccati, & eius voluntatem (sicut supra dixit Aug.) libenter facit, quomodo ergo naturaliter vult bonum? An est eadem voluntas, id est, idem motus, quo libenter peccato seruit, & quo naturaliter vult bonum? Si non est eadē voluntas, quæ ergo istarum est, quæ cum homo iustificatur, à seruitute peccati liberatur? Ut. n. differuimus superius, gratia Dei voluntatem hominis liberat & adiuuat, quæ voluntatem hominis præparat adiuuandā, & adiuuat præparatam. Sed quæ est illa voluntas? an illa quæ naturaliter vult bonum? an illa quæ libenter seruit peccato, si tamen duæ sunt voluntates? Proposita est quæstio profunda, quæ varia à diuersis expositione determinatur. Alii enim duos esse motus: vnum quo vult bonum

natu-

*Ambr. in  
Comment.  
ad illud.  
Non enim  
quod volo,  
illud ago: sed  
quod odi,  
illud facio.  
Rom. 7. d.  
Tom. 5.*



*In princip.  
cap. 25. in  
Tom. 3.*

*Hier. ad pri-  
mum caput  
Ezech. ad  
locum.*

*Et scintilla  
quasi aspe-  
ctus aëris  
rudentis.  
In tom. 5.*

*Responsio  
secundum  
alios.*

naturaliter. Quare naturaliter, & quare naturaliter dicitur? Quia talis fuit motus naturæ humanæ in prima conditione, in qua creati sine vitio sumus, quæ propriè natura dicitur. Fuit enim homo creatus in voluntate rectus. Unde in lib. de fide ad Petrum scriptum est. Firmissime tene primos homines bonos, & rectos esse creatos cum libero arbitrio, quo possent si vellent propria voluntate peccare: eosque non necessitate, sed propria voluntate peccasse. Recte ergo dicitur homo naturaliter velle bonum, quia in recta & bona voluntate conditus est. Superior enim scintilla rationis, quæ etiam (vt ait Hier.) in Chain nõ potuit extinguere, bonum semper vult, & malum semper odit. Alium autem dicunt motum esse quo mens relicta superiorum lege subiicit se peccatis, eisque oblectatur. Iste motus, vt aiunt, antequam adfit alicui, gratia dominatur & regnat in homine, alterumque deprimit motum: vterque tamen ex libero arbitrio est. Veniente autem gratia ille malus motus eliditur, & alter naturaliter bonus liberatur, & adiuuatur vt efficaciter bonum velit. Antè gratiã verò licet naturaliter homo velit bonum, non tamen absolute concedi oportet bonam habere voluntatem, sed potius malam. Alii autem dicunt vnã esse voluntatem, id est, vnũ motum, quo naturaliter vult homo bonum, & ex vitio vult homo malum, eoque delectatur: & in quantum vult bonum, naturaliter bonus est, in quantum malum vult, malus est.

AN EX FINE OMNES ACTVS PEN-  
sari debeant, vt simpliciter boni vel mali dicantur.

DISTINCT. XL.

POST hæc de actibus adiciendum videtur: Verum & ipsi ex fine, sicut voluntas, pensari debeant boni vel mali. Licet enim secundum quosdam, omnes boni sint in quantum naturaliter sunt:

non